

VII

AD TORQVATVM

Heroico-Archilochius

Diffūgēre nivēs, redeunt iam grāmina campīs,
Arboribus comae ;
Mūtat terra vicēs, et dēcrēscientia rīpās
Flūmina praetereunt ;
Grātia cum Nymphīs geminīsque sorōribus audet
Dūcere nūda chorōs.
Immortālia nē spērēs, monet annus, et alnum
Quae rapit hōra diem.
Frīgora mītēscunt Zephyrīs, vēr prōterit aestās
Interitūra, simul
Pōmifer autumnus frūgēs effūderit, et mox
Brūma recurrit iners.
Damna tamen celerēs reparant caelestia lūnae :
Nōs, ubi dēcidimus,
Quō pater Aenēās, quō dīves Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adiciant hodiernae crāstina summae
Tempora dī superī ?
Cūncta manūs avidās fugient hērēdis, amīcō
Quae dederīs animō.
Cum semel occiderīs, et dē tē splendida Mīnōs
Fēcerit arbitria :
Nōn, Torquāte, genus, nōn tē fācundia, nōn tē
Restituet pietās ;
Īnfernīs neque enim tenebrīs Dīāna pudīcum
Līberat Hippolytum ;
Nec Lēthaea valet Thēseus abrumpere cārō
Vincula Pīrithoō.